

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
EXHIBENS NONNULLA
DE
APPETITV ALIMENTO-
RVM PRAETERNA-
TVRALI

QVAM
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCTORE ET PROF. PVBLI ORD. ACADEMIAE REGIAE BORVSS,
SODALE ET ACAD. ELECTORALIS MOCVNTINAE SCIENT,
VTIL. ASSESSORE FACVLTATIS SVAE
H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS

D. XXII MARTII MDCCLX,

H. L. Q. C.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

FERDINANDVS GEORGIVS MAY

VRATISLAVIA-SILESIVS.

FRANCOVRTI AD VIADRVM.

TVPIB IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TVPOG.


INSTITUTIO
MORBI
TYPICIS TERNITIA
APPETITVS ALIMENTVS
HVM TRACTATA
SYRACVS
1648
GREGORIVS GONZALEZ FACULTATIS MEDICINAE
MAGISTRVS
IOHANNES BRUNNVS FACULTATIS
MAGISTRVS
FRANCISCVS BOSTONIVS
MAGISTRVS
M. XCVI. MARCI. MDCCLX.
M. DCCLX.
FRANCISCVS BOSTONIVS
MAGISTRVS
FRANCISCVS BOSTONIVS
MAGISTRVS





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
EXHIBENS NONNVLLA
DE
APPETITV ALIMENTORVM
PRAETERNATVRALI.

§. I.

orpora hominum caeterorumque animantium sub perenni ac mutua partium solidatum ac fluidarum actione et reactione in universo ambitu suo constanter moleculas quasdam, tritu vario avulsas, amittunt, et omnimoda igitur machinae destructio intra modicum tempus metuenda foret, nisi durante sanitate, defectus per cibum potumque recentem, et inde elaboratos succos alibiles, ipsa hortante natura, identidem refarciretur: Ipsa, inquam, hortante novamque alimenti adsumptionem imperante natura; „Praeter sensus externos enim, „10. GOTHOFREDVS BERGERVS *scribit a)*, Deus alios „homini sensus dedit, videlicet famis, sitis et amoris,

A 2

qui-

a) *In Physiologia Medica Cap. 29. p. 427. sequ.*



„quibus et sui et generis conservandi custodiam eisdem
 „ingenuit. Nam cum caduca sint fluxaque vitae prin-
 „cipia, et singulis momentis decedat et elabatur quae-
 „dam nostri portio, necessario et invalida redderentur
 „corpora et dissiparentur tandem atque conciderent,
 „nisi Creatoris providentia et benignitas alimentum,
 „tanquam praesens quoddam exhaustarum partium sup-
 „plementum, dedisset. Et quanta quaeso illa Dei be-
 „nignitas, quod tam multa ad vescendum, tam varia,
 „tamque iucunda concedit? neque ea uno tempore an-
 „ni: ut semper et novitate delectemur, et copia, nec
 „unquam desint provocando appetitui illecebrae. Is
 „vero cum indigentiae corporis, et cibi potusque nos
 „admonet, quo memores reddamur refectiois corpo-
 „ris, fame movetur, et siti &c. Origo physica, eaque
 „periodica, utriusque huius appetentiae, esculentorum,
 „scilicet ac potulentorum, non organi tantum sensorii,
 „sed causarum quoque excitantium intuita valde difere-
 „pat, nec utrumque etiam desiderium constanter apud
 „homines naturale prorsus, regulare et indigentiae pro-
 „portionatum, sed saepe pariter saepius inordinatum ac
 „praeternaturale deprehenditur; hinc posterius, deside-
 „rium nempe cibi potusque morbosum, uberius omnino
 „scrutinium meretur, quod in sequentibus quoque, licet
 „minime novum rarumque sit, suscipere, et speciminis
 „inauguralis loco describere animum induxi. Quo sin-
 „gula caeteroquin legentibus clariora evadant, breviter
 „prius de adpetitu naturali agam, et deinde ad appeti-
 „tus morbofi evolutionem, ceu praecipuum hac vice
 „tractationis nostrae obiectum, descendam.



§. II.

Desiderium alimenti solidi sive esculentorum, quod a recentioribus quibusdam physiologis, si remissius saltem moderatumque est, *adpetitur* tantum sive *appetentia ciborum*, sin fortius vero ac magis minusve anxium existit, strictius *fames* appellatur, in sentiente anima toties oritur, quoties parietes ac iuga rugarum ventriculi propius ad se invicem adducuntur, et mutuo igitur attritu validiori, cui producendo motus ventriculi peristalticus inservit, singularis quaedam oscillatio, vel alius motus specificus in fibris tunicae ventriculi nerveae, et prominentibus in primis eiusdem papillis *a*), excitatur, et inde postmodum, famulante fluido spirituofo, per ramos nervorum maiores ad cerebrum, seu sensorium commune, propagatur. Crescit itaque vescendi desiderium in anima atque decrescit cum crescente ac decresciente hoc rugarum affricu, immo penitus cessat, quando ventriculus post sufficientem ciborum ingestionem adeo rursus expanditur, ut iuga atque parietes rugarum magis iterum magisque a se invicem recedant, nec ulla amplius earum tritura motua, nulla frictio fieri queat, sed tota potius tunicarum actio soli adsumtorum resolutioni impendatur. Minimè caeteroquin ignorari oportet, ventriculi parietes, sub inedia diuturna summaque urgente fame, nunquam penitus coire, sed certos contractionis limites esse, et tantam apud summe famelicos cavitatem relinqui, quae, sicuti frictio apud homines fame extinctos docuit, aliquot ad minimum aquae uncias recipere possit *b*).

A 3

§. III.

a) Conf. HERMANNI BOERHAAVII *Praelect. Acad. ab ill. HALLERO edit. Vol. I. p. 264.* *b*) Vid. *Idem Lib. cit. p. 289.*



§. III.

Symbolum suum ad revocandam augendamque ciborum appetentiam naturalem non tantum subsalfo-aquosus leniterque irritans liquor gastricus ac similis naturae sensimque defluens latex salivalis, sed cuncta etiam ingesta, quae, uti v. g. acidula, acria, salsa, aromatica, amara, spirituosa inflammabilia &c., vario vividoque stimulo, tunicae nerveae et antea memoratis papillis impresso, contractionem ventriculi suscitare et motum peristalticum vegetiorem validioremque reddere valent, conferunt. Nec illa etiam hoc loco praetermittenda sunt, quae, uti motus corporis fortior et exercitia varia, influxum sanguinis in motrices ventriculi fibras musculares largiorem validioremque efficiunt, ac vim peristalticam hac ratione exaltant: Immo, frigus externum, praesertim paullo intensius, inter causas adiutrices locum eminentem et singularem omnino considerationem meretur. Notò enim notius est, homines et animantium reliquorum quamplurima non tantum tempore hyemali sub frigoris diuturnitate atque saevitie, sed in gelidis quoque regionibus borealibus alimenta solida avidius appetere, maiori copia ingerere, et citius pariter ac melius, quod noxas ex ingluvie alioquin metuendas avertit, concoquere. Actio frigoris in hac quidem parte clandestina est, facile nihilominus explicari potest: Frigus videlicet habitum cutaneum constringit, oscula vasorum in- et exhalantium nonnihil coarctat, exhalationem materiae calorigificae ac fluidi spirituosae minuit, humores impetum facientes, maxime autem sanguinem, maiori quantitate atque impetu ad ventriculi tunicas propellit, et fibras

COR-



corporis universi praedicta constrictione valida maius robur conciliat; hinc aliter omnino fieri nequit, quin calor, motus peristalticus, attritus rugarum, appetentia ciborum et digestionis vigor magis minusve incrementum accedat, praesertim si animi tranquillitas accedat, nec sufficitati motus vegetiores variis forsitan animi adfectibus rursus turbentur.

§. IV.

Facillime haecenus memoratis plura notatu digna, ad appetitum ciborum naturalem ac regularem spectantia, subiungere possem: Verum enim vero, quum dicta viam satis pridem, uti ego quidem arbitror, ad meliorem statum obliqui atque contrarii cognitionem sternant, ulteriori tractationi physiologicae immorari nolo, sed protinus ad contemplationem thematicam nostri pathologico-therapeuticam progrediar, et appetitus vitiosae species, causas, et curationem ea pariter, qua fieri poterit, brevitate exponam. Redit autem appetitus vitiosus in genere ad *imminutionem*, aut *plenariam abolitionem*, aut *depravationem*, aut *nimum augmentum*, et *Dysorexiam* ideo, *Malaciam*, *Anorexiam*, *Picam*, *Bulimiam* et *Cynorexiam* sub se complectitur.

§. V.

Anorexia, quae passim quoque in medicorum scriptis *Apositia*, et *Astia* dicitur, solo tantum gradu eminentiori a *Dysorexia* distincta reperitur. Haec enim magis saltem minusve imminuta ciborum appetentia est, illa autem perfectam appetitus prostrationem et maximum omnium esulentorum fastidium denotat. *Dysorexiae* pro mea sententia haud inepte etiam *Malacia*, tanquam species, iungi poterit, quoniam nihil aliud



aliud esse videtur, nisi fastidium ciborum particulare ac determinatum, sive adpetitus languidus et circa certa saltem alimenta, eaque consueta ut plurimum, vulgari ac minus delicata, imminutus. Scio quidem, scriptorum plerosque malaciam simpliciter ad depravati adpetitus species referre, eamque ideo et picam eodem prorsus loco collocare: Veruntamen non diffiteor, magis mihi in hac parte praedictam et quodammodo etiam analogicam WEDELI sententiam placere, qui malaciam quoque a pica notabiliter distinguit, et adpetitum duntaxat alicuius rei nauseabundum vocat: „Notari, inquit a), etiam potest differentia inter κίττα^v seu picam et malaciam. Κίττα denotat depravatum alimenterum appetitum intensum, peccantem gradu maiori. Μαλακία vero est appetitus nauseabundus rei alicuius, quam quis eligit, quia alia ipsi adversantur, iudicans, quod hoc alimento sit usus. Hinc e.g. pica erit, si quis dicat: nisi hoc fruar, moriendum mihi est, aut si hoc consequar, convalescam. Malacia vero, si quis dicat: nescio, quid comedere debeam, sed si quid comedere necessum sit, videtur mihi, quod illud vel illud accepturus sim &c.

§. VI.

Frequentius exposita adpetitus vitia inter aliarum aegritudinum symptomata, quam morbos primarios ac solitarios, militant, et quotidiana pariter observatio docet, adpetitum ciborum decreascentem plerorumque aliorum morborum adventum praefagire, resurgentem ex adverso sive revertentem remissionis aut perfectae cessationis, adeoque convalescentiae indicem esse:

Immo

a) In Pathologia medica dogmatica Sect. III. cap. 2. p. 466.



Immo medicorum nulli ignotum est, ex maiori et minori adpetitus deiectione saepe saepius morborum, praesertim acutorum, magnitudinem et periculi gradus cognosci.

§. VII.

Aetiologia dysforexiae symptomatice passim sub aliarum aegritudinum tractatione discenda erit, et hoc igitur loco ob ingentem varietatem suam ac prolixitatem explicari nequit: Quod idiopathicae vero causas attinet, illae proxime ad *imminutum*, aut *plane abolitum*, aut *valde perturbatum rugarum ventriculi affricum, similemque motum peristalticum*, et hic rursus ad *universi systematis nervosi imbecillitatem*, aut *magnam fibrarum ventriculi flacciditatem*, aut *cruditates varias, mucidas, mucido-biliofas, rancidas, putridas &c.*, in cavitate ventriculi stabulantes, rugisque passim interpositas, ac non solum mole sua totum ventriculum onerantes, mutuamque in rugis parietum approximationem impediennes, sed vario etiam stimulo motum peristalticum pervertentes, redit. Nec praetermitti quoque oportet, motum peristalticum per saepe spasms, in hysteralgia, passione hypochondriaca, et sub variis haemorrhoidum ac catameniorum anomaliis consensualiter per nervos, et sub impetuosa pariter cruoris congestione productis, magnopere perverti, et memorata igitur pathemata frequentes, nunc manifestas, nunc clandestinas, dysforexiae causas evadere.

§. VIII.

Adductas causas adpetitus imminuti aut plane prostrati proximas sic dictae causae procatarticae numero adhuc et generis varietate admodum superant.

B

Aliae



Aliae enim, ex rerum nonnaturalium ac praeternaturalium censu, nimia v. g. ventriculi repletio, crebrior ac largior oleosorum, pinguium, fermentantium, ac flatulentorum adsumtio, iusto copiosior potulentorum, praesertim tepidorum, ingestio, moeror, tristitia, curae anxiae, meditationes profundae, post pastum inprimis susceptae, intemperantia libidinis, haemorrhagiae immodicae, frequens ac diuturna infantum lactatio, abusus emeticorum &c., ventriculi tunicis praeternaturalem flacciditatem inducunt, et nonnullae quoque earum universum systema nervosum robore suo privant: Aliae, ut terror, iracundia, impuritates rheumaticae, arthriticae, scorbuticae &c., in vasculis ventriculi sanguiferis atque lymphaticis subsistentes, quin antea dudum allegatae affectiones hystericae, hypochondriacae et haemorrhoidales insolita quadam irritatione aliove modo peristalticum ventriculi motum pervertunt, et aliae denique, ut leguminosa, pultes farinaceae spissiores, carnes animalium senilium, carnes infumatae ac muriaticae, pisces nonnulli marini, praesertim exsiccati, et similia esculenta viscosa, duriora et concoctu difficilia, nec minus pingua et oleosa, excedente copia adsumta, putrida itemque, et iracundia gravior, vel cruditates mucidas sive pituitosas, vel rancidas, vel putridas, vel biliosas, tum simplices, ac solitarias, tum mixtas atque compositas, ventriculo ingenerant.

§. IX.

Sanandae anorexiae et dysorexiae idiopathicae interdum, absente videlicet cruditatum colluvie et eminentiori tantum ventriculi atonia peccante, praeter dietam congruam, sola roborantia stomachalia sufficiunt, inter-



interdum vero, ac paullo quidem frequentius, confortantibus varia medicamenta, quae cruditates collectas *incidendo, temperando, invertendo* corrigunt, et per superiora postmodum aut inferiora educunt, praemittenda sunt. Ad confortantia quaevis fere *amara, balsamica et aromatica* spectant, ad formam tamen variam redacta, et ieiuno inprimis ventriculo, vel etiam paullo ante aut post passum adsumta, masticatoria nimirum extradice angelicae, galangae, mace, cinnamomo, aniso stellato, cardamomo minori, flavedine cort. citri et aurantiorum, myrrha genuina, rhabbaro orientali &c., mixturae concentratae spirituosae ex ess. absinthii composita, gentianae rubrae, trifolii fibrini, cascarillae, aloes, myrrhae, cort. citri, aurantiorum, melissae, cinnamomi, croci &c., mixturae temperatiores ex vino, arcano tartari impraegnato, et extractis amaribus, electuaria ex syrupo de cinnamomo, melissae, cort. citri, aurantiorum, rob iuniperi, extr. cent. minor., scordii, card. bened., pulvere rhabbari, sem. santonici, foeniculi, anisi stellati, cinnamomi, oleo maioranae, menthae, citri Italici, caryophyllorum &c., morsuli myrrhati, pilulae ex aloo violata aut rosata, myrrha genuina, balsamo Tolutano, extractis amaribus et vix memoratis pulverulentis et oleis balsamicis, infusa vinosa ex variis pariter speciebus amaribus, balsamicis et aromaticis, et sic porro. Hisce interdum, cum insigni etiam fructu et energiae augmento, *adstringentia mitiora*, ut grana chermes, et inde paratus succus, cortex Peruvianus, vinum rubrum Gallicum, vulgo *Pountac* dictum, tincturae martiales &c., nec non *aeriva* quaedam et *acidula stimulantia*, radix ari v. g., essentia pimpinellae albae, semen sinapi, sal acetosellae,



spiritus nitri et salis dulcificatus &c. iunguntur, immo externa *linimenta* ex spiritu matricali, aqua virtutum, cephalica imp., mastichina, et balsamo vitae, aut oleis destill. maioranae, carvi, menthae &c., ut et *emplastra*, ex allegatis aliisque oleis aethereis, oleo nucis moschatae expresso, balsamo Peruviano, Tolutano, et emplastro de crusta panis aut de baccis lauri Off. composita, et epigastricae regioni applicata, multum per saepe ad ventriculum roborandum et appetitum revocandum conferunt.

§. X.

Circa pharmaca, cruditatibus emendandis ac praeparandis idonea et adaequata, notabile discrimen occurrit. Nam cruditates tenaces pituitosae *incidentia* inprimis *salina mediae naturae*, et *acria quaedam, amaris, balsamicis et aromaticis modice remixta*, v. g. pulveres ex sale de Seignette, digestivo Sylvii, arcano duplicato, mirabili Glauberi, tartaro solubili, radice ari ppta, rad. ireos Florent., rhabarbaro, aniso stellato, &c. mixturas ex vino, terra foliata tartari, flor. salis ammoniaci, extracto chamomillae vulg. et rhabarbari, quibus post filtrationem essentia pimpinellae albae et tinctura antimonii acris addi poterunt, ad sui correctionem postulant: Cruditates biliosae et rancidae *nitrosae* saltem atque *acidulis temperantibus* emendantur, nec ulla calida aromatica, balsamica et amara perferunt, et nidorosis denique seu putridis recrementis tum *acidulorum*, tum *balsamicorum* usu nocendi facultas adimitur. Sin mixtae quoque cruditates in ventriculi cavo hospitari creduntur, aut recrementa quaedam acria, ex corporis peripheria retroacta, in ventriculi vasculis haerent, in casu priori



priori congrua etiam et cuius faburrae speciei adpropriata miscenda, in casu posteriori autem *activa expellens*, et *specifica antiscorbutica, antarthritica* &c. in usum trahenda erunt.

§. XI.

De evacuantibus emeticis et catharticis, seu pharmacis notissimis ac minime hoc loco distinctis, nulla specialia afferam, sed ad evolvendas species adpetitus vitiosi reliquas revertar, et primum de *Pica*, quae passim quoque in scriptis medicis *Cissa*, *Citta*, *Kitta* *κίττωσις* dicitur, loquar. Est autem haec ipsa adpetitus depravatus, subiectis sequioris sexus et maxime gravidis quibusdam, praesertim statim post conceptionem et tribus primis mensibus, familiaris, qui in eo consistit, ut res, ab esu humano plane alienas, calcem v. g. carbones, cretam, corium, picem liquidam, araneas, pisciculos vivos, carnes crudas &c. vel alimenta ulitata quidem, aut in longe maiori, quam par est, quantitate, aut incongruo prorsus anni tempore, cerasa v. g. fraga, similesque fructus horaeos mense Decembri &c., tam flagrante desiderio appetant, ut saepe, si rerum desideratarum non potiantur, in animi deliquia incidant, immo facillime, si uterum gerant, naevos in embryones suos derivent, aut plane abortiant. Notatu quoque dignum est, picam apud gravidas non tantum circa gustum, sed interdum quoque circa auditum, olfactum et tactum a practicis observatam fuisse; quae species tamen nequaquam huius loci sunt, sed ad alia aegritudinum capita remitti debent.



§. XII.

Oritur in anima insolitum atque corruptum hoc desiderium a *singulari nervorum irritatione et perverso imprimis motu peristaltico*, quem apud gravidas et alias pariter foeminas, subfluxus menstrui anomaliis, partim cruor abundans ac viscidus impetuosa versus stomachum congestione et irregulari per vascula tunicarum circuitu, partim impurus liquor gastricus, recrementis pituitoso acidis, aut biliosis, aut putridis, aut hisce aliisque diversimode mixtis magis minusve inquinatus, suscitatur. Fieri tamen subinde potest, ut sola sanguinis congestio turbulenta absque recrementi peregrini praesentia, vel sola saburra ventriculi heterogenea citra ullius congestionis concursum depravatae huius appetentiae causa existat, immo, valde probabile est, primum quandoque fundamentum unice in anima latitare, dum noto notius est, quod affectio haec longe frequentius apud pueros, puellas, virgines ac foeminas aliosque imbecillioris iudicii homines, nascatur.

§. XIII.

Curatio huius morbi partim moralis, partim pharmaceutica atque chirurgica esse, et ita in genere dirigi debet, ut non solum iusto vividior appetituum idea deleatur, aut aliqua tamen satisfactio, eaque innocua, non nihil minuatur, sed materialis quoque irritationis motusque peristaltici perversi causa auferatur, aut mitigetur. Ad auxilia moralia congruae lenesque persuasiones, prudentes detrimenti aut impossibilitatis demonstrationes, nec minus, culpa inprimis



mis ad animam et phantasiae ludibria redeunte, varia stratagemata medica, callidae nimirum esculentorum, condimentorum ac medicaminum innoxiorum et desideratis incongruis colore ac forma externa similium, surrogationes, pertinent; chirurgico-pharmaceuticis remediis autem, habita tamen decenti causae materialis et individuorum ratione, venaesectio, laxantia ex rhabarbaro, mechoacanna alba, foliis fennae &c., leniora emetica ex radice ipecacoanhae, terrea antacida, temperantia nitrosa et acidula, falsa incidentia, ut et temperatiora amaricantia atque balsamica, quorum alia sanguinem abundantem corpori detrahunt, et congestionis impetum refrenant, alia cruditatem ventriculi discrepantem, acidam scilicet, aut biliosam, aut rancidam aut putridam &c., invertunt ac corrigunt, et stomachi fibras nervosas ac musculares confortant, accensenda veniunt. Circa phlebotomiam caeteroquin et emetica probe notari oportet, haec, etiamsi inter ea tantummodo mitissima eligantur, apud gravidas, propter metum abortus, rarissime vel nunquam cum perfecta securitate exhiberi, nec illam quoque apud eadem subiecta primis mensibus promiscue administrari posse, sed semper ad robur patientis, ad maiorem minoremve naturae propensionem ad vomendum, nec minus ad gradum plethorae aliasque circumstantias indicantes aut contra-indicantes respiciendum esse.

§. XIV.

Cynorexia et Bulimia, quae solae inter notabiliores appetitus ciborum vitiosi species considerandae restant,



restant, scriptoribus quibusdam mera quidem synonyma sunt; at, notabile omnino discrimen illas intercedere, non tantum ex ipsa denominatione, sed clare etiam ex symptomatibus nonnullis patet. *Cynorexia* enim, *Cynorexis*, *Orexix cynodes*, *Fames canina*, vehemens ac fere insatiabile vescendi desiderium est, cui post magnam atque praecipitatum ventriculi repletionem vomitio aut alvi deiectio succedit, qua ingesta cruda ac parum aut nihil subacta rursus eiiciuntur: *Bulimia* vero, *Bulimus*, *Fames bovina*, ingens quidem ac tantum ciborum desiderium est, ut, retardata aliquantulum eorum adsumptione, lipothymia immineat, quin vere nonnunquam superveniat, nullus tamen ingestionem vomitus, nulla alvi deiectio sequitur, sed adsumta, nisi perfecte, nonnihil tamen, subiguntur.

§. XV.

Aetiologia in fame canina et bovina minime differre, sed causa proxima in affectu utroque ad vehementem rugarum ventriculi affricum, et iusto auctiorem ac valde acceleratum motum peristalticum, quem liquor gastricus, acribus, iisque admodum penetrantibus, quisquiliis nimium refertus, et interdum quoque vermes, praesertim lumbrici, ex intestinis in ventriculum prorepentes, stimulo vario excitant, redire videtur. Acrimonia memorata, sicuti istud subinde sapor in ore acidiusculus, eructatio humoris, dentium aciem hebetantis, et materiae vomitu reiectae aciditas abunde probant, acidae indolis est; hinc praeternaturalis quoque haec vescendi aviditas frequentius apud homines



homines, qui acidorum adsumptioni nimium indulgent, nascitur, nec raro pariter in passione hypochondriaca et febribus, ex acido - mucosa saburra praecipue oriundis, observatur. Nolo tamen dicta ita accipi, ac si solam semper acrimoniam acidam exaltatam adcusandam esse statuerem, sed dixi saltim, plerumque penetrantes humores acidos insolitae esuriei causam materialem constituere. Nam probe novi, et iterata quidem experientia edoctus, alias etiam, praesertim scorbutico - purpuratas quisquillas, ad ventriculi cavum aut tunicarum duntaxat vascula depositas, stimulo vario violentiorem nonnunquam rugarum ventriculi attritum suscitare, et aliquando igitur praecipuas cynorexiae ac bulimiae causas evadere.

§. XVI.

Propter causae tam formalis, quam materialis similitudinem in adfectu utroque nullum plane discrimen circa auxiliandi methodum occurrit, et potiora remedia ex *antacidorum* ac *demulcentium* classibus desumuntur. Ad antacida hoc loco non tantum terrea alcalina, conchae v. g., lapides cancerorum, magnesia alba, morsuli contra ardorem stomachi Off. &c., sed limatura quoque ac croci martis, nec non alcalia salina, tinctura scilicet tartari, metallorum, antimonii tartarifata, oleum tartari per deliquium, aqua multa dilutum, et similia, ad demulcentia vero mucilaginea, gelatinosa, pingua et oleosa spectant, immo

C

hisce



hisce nonnunquam, crassiori nimirum saburra simul praesente, emetica leniora et laxantia ex radice ipecacuanhae et rhabbarbo, praemissis tamen praedictis corrigentibus, iungenda aut interponenda sunt. Ut nihil de diluentibus, expellentibus, aliisque pharmacis specificis dicam, quae, facto forsan impuritatis scorbutico-purpuratae decubitu ad ventriculum, aut malo hypochondriaco, aliove morbo complicato, in auxilium trahi debent.

§. XVII.

Evolutis breviter potioribus appetitus ciborum vitiiis, nonnulla pariter de *Siti seu desiderio potulentorum naturali ac praeternaturali* dicenda veniunt. Prius, naturale scilicet atque moderatum potulentorum desiderium, toties specifico motu nervorum oscillatorio in anima sentiente et diiudicatrice excitatur, quoties apud homines sanos fibrae tunicae faucium, propter parciores salivae aquosioris affluxum, nonnihil exsiccantur, et fortius proinde et cum levissimo quodam dolore, praesertim sub alternante aeris in pulmones introitu et egressu, stringuntur ac constringuntur. Parcior haec salivae humectantis secretio et imminutus ideo minusque sufficiens affluxus maiorem rursus minoremve humorum seroso-lymphaticorum in toto corpore defectum, perenni ac varia secretionem et excretionem inducitur; hinc maior quoque sitis, sicuti unicuique notissimum est, sub tempestate calida et sicca, in regionibus aestuosis, et post motum et exercitia corporis fortiora



tiora nascitur, et indigentiae igitur sub vigore sanitatis semper proportionata existit. Tacitus caeteroquin praeterire nequeo, praeter memoratam sitis naturalis causam, eamque ordinariam, subinde etiam aliam, quae minus tamen, quam illa, naturalis, sed magis nonnaturalis aestimanda est, observari. Frequenti nimirum observatione constat, homines, post hunc aliorumque falforum ingestionem largiorem, potulenta solito avidius appetere, licet nulla humorum seroso-lymphaticorum penuria adsit. Ratio in promptu est: Salsa enim moleculae, maiori numero ventriculi parietibus applicatae, tunicam nerveam fortius pungunt ac vellicant, et eminentiori hoc stimulo maiorem ventriculi contractionem suscitant; unde fit, ut latex salivalis largius ad emissaria ventriculi, quam glandulas oris salivales, confluat, et suscitata etiam fortior tunicae ventriculi villosa nerveae strictura, ob nexum arctissimum, ad tunicam faucium progrediatur.

§. XVIII.

Consideratio sitis physiologica multum protinus lucis considerationi eiusdem pathologicae foeneratur. Ex dictis enim unumquemque, medica etiam scientia leviter duntaxat imbutum, facile cogniturum spero, causam sitis nimiae seu praeternaturaliter auctae vel ad *defectum salivae, vel penuriam humorum seroso-lymphaticorum in toto corpore, vel subinde etiam, licet rarius, ad insolitam tunicae faucium stricturam*, fortiori stimulo consensuali productam, redire. Defectus salivae maior aut minor





nunc universalem laticis seroso-lymphatici penuriam et parciorem proinde secretionem in glandulis oris causam proximam agnoscit, nunc vero dictarum duntaxat glandularum obstructionem, quam ipsa interdum saliva viscosior, aut praeternaturalis quaedam constrictio spasmodica, eaque ut plurimum febrilis, producit, sequitur. Penuria humorum seroso-lymphaticorum universalis ortum suum pluribus causis procatarteticis debet, ac generatim ab eorum singulis, quae calorem sanguinis praeternaturaliter intendunt, aut laudata liquida diluentia et humectantia per vias solitas non minus, quam insolitas massae sanguineae iusto maiori quantitate detrahunt, inducitur; hinc febres maxime, quarum plerisque sitis auctior, et interdum fere inexplebilis, ut plurimum sociata reperitur, nec minus sudores nimii, praesertim colliquativi hecticorum, diabetes aut solito largior tamen diuresis, diarrhoeae diurnae, usus frequentior catharticorum, haemorrhagiae immodicae, extravasatio aquarum in ascite aliisque hydropis veri speciebus, et similia, considerationem hoc loco merentur, nec ista pariter, quae uti obstructions v.g. vasorum lacteorum et glandularum meseraicarum, recentium succorum transitum e prima culina ad sanguinem impediunt, e numero causarum excludenda sunt. Strictura tunicae faucium praeternaturalis solitaria, h. e., nullo salivae, nullo laticis seroso-lymphatici defectu praesente oriunda, paullo rarius occurrit, et a fervidis plerumque cruditatibus ventriculi biliosis ac nidorosis, vel salis etiam aliisque acrioribus, tunicam ventriculi nerveam indefinenter ac fortiter vellicantibus, con-

sen-




fenſualiter, uti ſupra pridem dixi, excitatur, nec unquam igitur, perſeverante ſtimulo memorato, penitus ceſſat, etiamſi ſaliva ſufficienti copia ſe- et excernatur, et potulenta etiam largius hauriantur.

§. XIX.

De ſiti praeternaturaliter imminuta ac depravata non adeo multa dicenda invenio. Prior enim *glandularum* duntaxat *ſalivalium laxitatem* et *ſolito copioſiorem liquiditatem ſalivalis ſe- et excretionem*, vel *extraordinariam* ac magis minusve morboſam *ſuccorum ſeroſo-lymphaticorum in toto corpore abundantiam* ſupponit; poſterior autem rariffime praeternaturalis deprehenditur, ſed potius, ut ita loquar, nonnaturalis eſt, et originem ſuam vel unice, vel maximam tamen partem, *pravae conſuetudini* debet; quemadmodum iſtud clare inprimis atque creberrime apud cereviſiae, vini ac vini aduſti heluones obſervamus.

§. XX.

Medela ſitis praeternaturaliter auctae facile ex aetiologia praemiſſa intelligitur, nec ideo etiam prolixam hoc loco explicationem deſiderat, quoniam merum plerumque aliarum aegritudinum ſymptoma eſt, per varia remedia, ſanando morbo primario idonea, abigendum penitus aut mitigandum. Dividi itaque debent excedentis huius deſiderii medicamina in *generalia* ac fere *communia* et *ſpecifica* ſeu *adpropriata*: Haec ſub aliorum morborum tractatione therapeutica diſcenda ſunt;




sunt; illa autem ad *diluentia*, *demulcentia* et *refrigerantia* redeunt: cuius census sunt decocta hordeacea et avenacea refrigerata, serum lactis dulce et acidulum simplex ac tamarindatum, aqua vulgaris, nitro et sale acetosellae, vel tinctura bellidis, violarum, florum anagallidis purpureae, clyffo antimonii sulphurato, succo citri, limoniorum &c. modice impraegnata, emulsiones ex aqua boraginis, cichorii, flor. nymphaeae, lactucae, flor. anagallidis purp., acetosellae, fragorum ex fructibus, amygdalis dulc., sem. quatuor frigidis maioribus et minoribus, nitro depurato &c., potiunculae ex aquis memoratis, nitro, sale acetosellae, syrupo cerafor. acidorum, acetositis citri, violarum, ribium, cydoniorum, acetosae &c., electuaria ex syrupo violarum, mororum, ceraforum acidorum, pulpa tamarindorum, diacydonio simplici &c., fructus recentes atque conditi acidulodes, succus cucumerum atque melonum depuratus et sacharo canto remixtus, et plura huius farinae alia. Hisce interdum, salivae nimirum defectu unice a glandularum salivalium obstructione et ipsius salivae viscositate pendente, *resolventia* quaedam atque *incidentia externa*, h. e. non deglutienda, sed aliquamdiu tantum in ore detinenda, decocta v. g. tepida ex herba hyssopi, et radice pimpinellae albae, nitro impraegnata, nec non, stricture nempe spasmodica glandularum salivalium emissaria ocludente, linctus ex oleo amygdalarum dulcium recenti, et pulvere liquiritiae aut sacharo canto, sacharum penidium, iuscula avenacea tenuiora, cum radice althaeae cocta, et similia iungi debent. Circa sitis depravatae ac nimium imminutae curationem




nem vix opus esse videtur, ut quicquam moneam. Prava enim adfuetudo, quae unica plerumque, sicuti antea dixi, prioris causa est, non pharmaceuticis atque chirurgicis, sed moralibus remediis emendanda est, et sitis imminuta quoque nullam medelam postulat, si illam speciem, quae soli glandularum salivalium laxitati nimiae et iusto largiori igitur salivae excretioni ortum debet, quodammodo exceperis. In hac enim subinde decocta ex adstringentibus, foliis v. g. rosarum rubr., herba alchimillae, cortice granatorum cinnamomo &c. parata, et identidem in ore detenta, necessaria atque proficua iudicantur.






Ei Tibi pro meritis summos huius Artis honores,
 Ad quos ex animo gratulor hisque Tibi.
 Sis felix, faustus, sospes, multosque per annos
 Vivas. Te semper fata benigna ferant;
 Vires ipse Deus, cum viribus augeat annos,
 Puraque Te sero lux super astra vehat;
 Atque ita Te praestet caelestis gratia saluum:
 Vt mea vota rogant, ut cupis ipse simul.
 Ernst Rudolph Schlincke, Opp. ord.



Vnde libido petat primordia prava ciborum,
 Quae mala prosiliant simul hinc in corpora nostra;
 Inquiris docte et solide defendis, Amice!
 Certo fonte scatet impuro squalidus humor;
 Et nitidi mundo manant e fonte liquores!
 Huius et exemplum sistis praeclarius omni,
 Mente Tua pura cum sana libido scaturit;
 Quae potuit plenos assurgas laudis in ausus,
 Qui faciunt lauro praeclara tempora cinctus
 Iam sumas hodie celebres Doctoris Honores.
 Gaudia certatim iungo solemnia Tecum,
 Inde canoque, licet nondum mihi dicere detur
 Quae fuerint, felix Tibi proemia plura futura:
 Et peto, si virtus et sors Tua vota secundet
 Sint et Amicitiae ceu Gentis Vincula sancta.
 Iohann George Kunst, Wratisl. Sil.



MONSIEVR!

Sensible à tout ce qui Vous concerne, je ne saurois manquer à un devoir aussi essentiel en consideration de l'amitié, qui nous lie, que celui, de Vous temoigner la part, que je prend à la joie, dont Vous êtes penetré, Vous voyant aujourd'hui couronne des honneurs, uniquement acquis, par Vos merites. Vous allez donc recueillir aujourd'hui les fruits, de l'industrie avec laquelle Vous Vous êtes, tout a fait voué aux etudes, etant orné de la dignité du Docteur. Permettez ainsi, que je Vous en felicite du profond de mon ame, joignant tous le voeux, que je ne saurois etouffer sans blesser les devoirs de l'amitié, et sans m'en rendre entierement indigne, que les succès de toutes Vos entreprises aillent vien loin au dela, de ce que Vous Vous en promettez, et quaucun facheux evenement,

D

ne



ne soit jamais capable, de Vous troubler dans la parfaite
 jouissance des recompenses de V^ôtre vertu. Il n'ya enfin
 aucun bonheur, aucune prosperité au monde; dont je ne
 desire, de Vous voir comble en abondance, La seule faveur,
 que je Vous supplie de m'accorder, est celle, de me continuer
 l'honneur de V^ôtre bienveillance et de V^ôtre amitié. Cette
 faveur croyez moi sera bien employée, et bien reconnue, sur
 tout, n'ayant jamais eu de bonheur, que j'estime tant ni, qui
 me donne tant de joie que celui d'oser me dire

MONSIEVR

Francfort sur l'Odre

le 31me Janvier

1760.

V^ôtre

Sincere Ami

Harsleben.

00 A 6272

f


ULB Halle 3
002 827 158



TA-OL

Reho ✓







DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
EXHIBENS NONNULLA
DE
APPETITV ALIMENTO-
RVM PRAETERNA-
TVRALI

QVAM
SENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER
MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE REGIAE BORVSS,
SODALE ET ACAD. ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENT,
VTIL. ASSESSORE FACVLTATIS SVAE
H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS

D. XXII MARTII MDCCLX.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
FERDINANDVS GEORGIVS MAY
VRATISLAVIA-SILESIVS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM.

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOG.